D. INNOCENTII M^E. LIRUTI

ORD. S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASINENSIS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPI VERONENSIS

EPISTOLA PRIMA PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

VERONENSEM.



PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCVII.

4.40





D. INNOCENTIUS M^A. LIRUTI

ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASINENSIS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS VERONENSIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, DILECTIS FILIIS, CAPITULO, CLERO, ET POPULO CIVITATIS AC DIŒCESIS VERONENSIS

Salutem in Domino sempiternam.

QUI semper animo alieno fuimus a Pastorali mūnere; re scilicet periculi ac sollicitudinum plena; qui ante hoc quadriennium a Prælatis tunc Nostris impetraveramus missionem plenam a vinculis quibuscunque in hoc rerum genere, ea etiam de causa quod sexagesimum ætatis annum prætergressi essemus, nec valetudine admodum firma uteremur; qui tandem nunc, honestis literarum studiis, homine ingenuo ac religioso dignis occupati, vitam agebamus tranquillam, omni curarum pondere soluti: ecce, Dei voluntate, ad Episcopale Munus, *ad labores videlicet, & sollicitudines* (1), ex improviso vocamur, et a NEAPOLEONE, illo invicto atque admirando Rege nostro & Imperatore, inter ipsos victoriarum triumphos, nominati, illustrissimæ Ecclesiæ Veronensi præficimur a PIO VII. PONTIFICE Maximo. Apti scilicet & idonei putamur ad onus difficillimum & formidabile ferendum, Nos qui virtutum Episcopalium, a Paulo Apostolo Titum suum informante, & a Gregorio Magno in *Regula Pastorali* (2) propositarum, vix umbram mente conceptam tenemus, moribus autem atque

 acti-

(1) Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de Reform.
(2) Gregor. M. Reg. Past. P. 1. cap. decimo.

actibus exprimere valemus nullam! Apti & idonei putamur, qui Nos vades apud Deum ac sponsores constituamus pro singulis amplissimæ Diœcesis animabus! Terret Nos profecto ac vehementer commovet vel ipsa cogitatio aut præsentia tam ancipitis ac periculosi nobis Officii impositi!

Sed, quando hoc Deo placitum, nunc non amplius locus est querelis; tempus est parendi, tempus ingrediendi ad opus. Nempe obtemperandum voluntati Dei; judicio Regis acquiescendum; sententia Summi Ecclesiæ Pastoris exsequenda. Et Deus ille Optimus Maximus, qui opus incepit, ille virtute sua perficiet, ipse infirmitati nostræ addet vires, tribuens menti lumen, & animo robur.

Id vero animum nostrum nunc recreat, quod Nos hoc ipsum tempus ad Vos alloquendos invitat, Venerab. Fratres, dilecti Filii. Sane quid dulcius, quid suavius accidere parenti amantissimo potest, quam sermonem habere ad Filios, pignora cara curarum suarum, ad Fratres, cooperatores suos, adjutores, consiliarios?

Vos autem primum alloquimur, Cathedralis Ecclesiæ Canonici, Vos, qui Cathedralis Ecclesiæ estis ornamentum & decus. Resonat per Vos Ædes Cathedralis Hymnis & Canticis, quibus Dei Summi nomen laudatur, & populus fidelis ad Deum adorandum & invocandum excitatur. Cantus iste Vester non ab ipsa modo re commendatur, sed etiam ab antiquitate & Auctoribus, quibus vix est ut majores appellare possimus aut illustriores. Ignatium Martyrem si dixero, tertium nempe a Petro Apostolo Antiochenum Episcopum; intelligitis continuo dignitatem auctoris. Ambrosium Mediolanensem si appellavero, ipsum nomen vestram excitat reverentiam, vestrum sibi poscit amorem; est enim noster, eumque sibi superior Italia vindicat. Gregorium Magnum non hic ego nomino; quia non ipse cantum ecclesiasticum instituit; sed institutum jampridem, correxit & expolivit tantum. Et cantus sic reformatus Romanæ Ecclesiæ, mox a Romanis ad Ecclesias Occidentis ceteras pervasit. Qua autem animi præparatione Hymnis & Canticis istis sit incumbendum, antea

mo-

monuerat nos Apostolus, ad Ephesios scribens (1); videlicet, ut simus *cantantes Domino & psallentes in cordibus nostris*, id est intimo cordis affectu; secundum illud ipsum, quod futurum in Ecclesia Samaritanæ mulieri ipse Jesus edixerat per ea verba: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate* (2).

Sed, qui ornamentum estis & decus Ecclesiæ Cathedralis, Vos eosdem ea etiam res commendat, quod fulcimentum estis Episcopatus, tanquam Episcopi Consiliarii & Adsessores; & ideo *Senatus Ecclesiæ* merito estis appellati. Alexander III. Patriarchæ Hierosolymitano in memoriam revocat, quod ipse & Canonici *unum corpus* sint, ita ut ille *caput*, *isti membra esse* intelligantur (3). Ipsum Concilium Tridentinum profitetur (4), dignitates in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuisse institutas, ut qui eas obtinerent, Episcopos *opere & officio juvarent*. Non octavo demum seculo, aut nono, ut existimatum est a multis, Canonicorum Cathedralium Collegia instituta sunt; non eo primum tempore *Ecclesiasticum Senatum* constituere inceperunt Canonici. Equidem nomen *Canonicorum*, tunc proprium factum est nobilioris Ecclesiarum præsertim Cathedralium Cleri; cum antea ceteris etiam Clericis tribueretur aliquando. Sed doceri multis argumentis facile potest, majores Clericos Cathedralium Ecclesiarum ab ipsarum Ecclesiarum fundatione *Senatum Ecclesiasticum* constituisse; ipsos jam tum *unum corpus* fuisse cum Episcopo; ipsos, qui in majorem Ecclesiam cooptati erant, cum loco præcellerent ceteris minorum Ecclesiarum Clericis, præcelluisse etiam officio & munere, atque ab Episcopo fuisse adhibitos in consilium ad ea quæ ad statum Ecclesiæ pertinerent, sive temporalia negotia essent, sive ad spirituales res vel ecclesiasticas attingerent: ipsos tandem in curam successisse Episcopi vel demortui, vel absentis,

(1) Ephes. 5. 19.
(2) Jo. 4. 23.
(3) Cap. 4. De his, quæ fiunt a Prælato.
(4) Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de Reform.

sentis, & universam tunc gessisse Ecclesiæ seu Diœcesis procurationem.

Hanc Canonicorum Cathedralium excellentiam ac supra ceteros Clericos præstantiam Patres animo revolventes, eos hortati sunt, ut quanto ceteros dignitate ac loco antecedunt, tanto eos morum gravitate & honestate vincant; quo habeant illi quod imitentur, atque exemplum sumant morum & disciplinæ.

Sed celebrantur, Venerab. Fratres, vestrorum meritorum decora, tum pietatis, tum doctrinæ; & quoties de Vobis cogitamus, toties animum inflammant lætitia & gaudium. Et toto sane animo optamus in vestrum complexum venire, ut conjuncti caritatis vinculis simul amice vivamus & laboremus in Ecclesia Dei.

Jam vero ad Vos nunc sermonem convertimus, qui in partem sollicitudinis nobiscum estis vocati. Ad vos scilicet Fratres Nostros Parochos sermonem convertimus, qui in vinea Domini laboribus continuis fatigamini, & quibus non dies solum quietos agere, sed nec ipsas sæpe noctes pacatas habere tributum est.

Præclara sunt quæ de vestro Ordine prædicavit Gersonius ille *Doctor Christianissimus* appellatus. Inter cetera, *Statum Curatorum esse de institutione Christi & Apostolorum suorum, a principio fundationis Ecclesiæ* (1). *Ad Curatos ordinario jure* pertinere, ut *actus hierarchicos* exerceant; *qui sunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam, perficere per Sacramentorum ministrationem* (2).

Horum vero trium puto difficillimum esse primum, quod est *purgare per correctionem*. Eaque de causa gravissimis sane verbis ab Apostolo Paulo inculcatum est Timotheo, & in illo cunctis Pastoribus seu primi seu secundi Ordinis, id est, sive Episcopis, sive Parochis: *Testificor*, inquit, *coram Deo, & Jesu Christo, prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obse-*

(1) Gerson. in Tract. de Statib. Ecclesiast.
(2) Gerson. De Potest. Ecclesiast. consid. 12.

obsecra; *increpa in omni patientia*, *& doctrina* (1). *In omni patientia*, id est, in spiritu lenitatis, non cum dominantis imperio. *Obsecra* ac paterna charitate admone, ut sibi consulat, ne in perditionem & interitum ruat sempiternum. *Insta importune*, id est assidue; *insta*, etiamsi non libenter audiant, qui arguendi sunt. *Multi enim*, inquit S. Augustinus, *postea cogitantes quæ audierint, & quam justa audierint, ipsi se gravius & severius arguerunt; & sanati sunt* (2).

Sed rem nimis magnam & summopere difficilem hunc in sermonem intulimus. Est enim opus summis difficultatibus obsitum, viam rectam tenere in corrigendo; modis appositis iisque melioribus admonitionis officium tractare. Quod cum optime intellexisset ille Pastorum magister Gregorius Magnus; quatuor illarum Partium, in quas suam *Regulam Pastoralem* partitus est, tertiam Partem eo amplitudinis deduxit, ut ea tres reliquas, totas simul, longe superet sua amplitudine. Scilicet cum in hac Parte tertia a magno Pastore, & Ecclesiæ Doctore explicatum sit, quomodo Rector animarum debeat admonere subjectos Fideles, ut ex eo proventum admonitionis reportet; necesse illi fuit longius excurrere sermone ad eos modos proponendos, qui unicuique sint apti & idonei pro indole, habitu, & natura diversa (3). Nempe, ut ipse in Prologo ait, *non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt*.

Hanc igitur tertiam Partem *Regulæ Pastoralis* si legeritis intensiore studio, Venerabiles Fratres, ex ea instructiores eritis in modo adhibendo admonitionis, eoque accommodando infirmorum qualitati. At vero sic non curam tantum adhibebitis, sed, Deo vim verbis tribuente, curationem etiam reportabitis.

Quid vero nunc dicam de altero *actu Hierarchico*, qui ad Vos pertinet, estque ut fidelem populum *illuminetis per doctri-*

nam,



(1) Timoth. 2. 4.
(2) August. exposit. Epist. ad Galat. num. 56.
(3) Vid. & caput decim. Partis secun.

nam, secundum Gersonii verba? Vos, qui institutionem Christianam hausistis e Catechismo illo præclaro ad Parochos, edito ex Decreto Concilii Tridentini; scitis, doctrinam omnem hoc capite comprehendi, ut Fideles *cognoscant verum Deum &*, *quem misit*, *Jesum Christum*, *& hunc crucifixum*, sibique certo persuadeant, *aliud nomen non esse datum hominibus sub cælo*, *in quo oporteat nos salvos fieri*. At vero ab illis Jesum Christum cognosci, qui *mandata ejus observent*. Et ex hoc tanquam ex re maxime conjuncta effici oportere, ut, *quemadmodum Christus ambulavit*, *ita & nos ambulemus*, sectemurque omni studio justitiam, pietatem, fidem, charitatem, mansuetudinem. Sed charitatem esse finem præcepti, ac legis plenitudinem. Itaque omni diligentia curandum Pastoribus animarum, ut Fidelis populus ad immensam Dei erga nos bonitatem amandam excitetur, atque in summum illud & perfectissimum bonum rapiatur, cui adhærere, solida est & vera felicitas (1).

Sed Pastoribus animarum, dum super alios vigilant, videndum est, ne invisibilis inimici insidiis capiantur. Ita scilicet, Vener. Fratres, nos undique angustiæ premunt, timor, ne oves nostra culpa detrimentum accipiant vel forte pereant; metus, ne ovibus officium præbentes, ipsi nos deseramus. Gregorius Magnus, dum Pastores considerat per multa occupatos ac distractos eos videt oblivione captos sui, sua negligere, de actione propria non inquirere; labi, errare, viarum suarum ignaros. *Mens*, inquit, *cum plus quam necesse est*, *se exterioribus implicat; quasi occupata in itinere*, *obliviscitur quo tendebat; ita ut ab studio suæ inquisitionis aliena*, *ne ipsa quidem quæ patitur damna consideret*, *& per quanta delinquat*, *ignoret* (2).

Ille idem Gregorius, recessuum humani cordis scrutator sagacissimus, intelligebat quoque pericula vanæ gloriæ ac elati animi, quæ Pastores circumstant. *Sæpe*, inquit, *dum multa agi possunt*, *quæ subjecti admirentur*, *in cogitatione se animus* ele-



(1) Catech. Rom. Præfation. n. 10.
(2) Greg. M. Reg. Pastor. Part. 2. c. 8.

elevat, & plene in se iram Judicis provocat, quamvis per iniqua opera foras non erumpat. Intus quippe est qui judicat, intus quod judicatur (1). Vel ipsam eorum, quæ bene gesta sint, memoriam Pontifex religiosissimus nocere posse homini animadvertit; *quia reminiscendo quod gessit, dum se apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit* (2).

Addit vero Gregorius hisce periculis remedium: *Necesse est*, ait, *ut cum virtutum nobis copia blanditur, ad infirma sua mentis oculos respiciat: nec recta quæ egit, sed quæ agere neglexit, aspiciat: ut dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis auctorem robustius in virtute solidetur* (3).

Hoc remedium adhibere erit Vobis facile, Venerab. Fratres, qui diligentia in Pastorali munere ac sedulitate excellitis. Est enim hoc proprium illorum, qui operibus ac virtute ceteros vincant, intelligere, quot et quanta supersint, quæ fecisse oportuit, & nondum fecere. In scientiis ipsis atque doctrinis hoc usuvenit, ut quo quis magis in istis profecerit, eo melius intelligat, quam cum multa lateant, & quanta sibi supersint discenda.

Pergite autem, ut facitis, & gregis Vobis commissi curam agite alacriter, sedulo, amanter. Connitimini autem, si fieri potest, ad majora; quasi obliti eorum quæ adhuc gessistis. Hæc dum agetis, eo vobis magis animos devincietis fidelis populi: eo illi sane erunt ad doctrinam dociliores, & ad audiendum & obediendum paratiores. Atque hæc illa est causa, cur interesset magnopere, ut ab ovibus Pastor ametur; prout docemur a nostro magno Gregorio: *Oportet*, inquit, *ut Rectores boni placere hominibus appetant*, ad hoc *ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant*, & *ut dilectionem suam quasi quandam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant*.

Difficile quippe est, ut quamlibet recta denuntians prædicator qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, studere

b



(1) ibid.
(2) Reg. Past. Part. 4.
(3) Ibid.

dere diligi , *quatenus possit audiri* , *non amorem suum pro semetipso quærere* (1) .

Sed ad eos accedimus , qui extra Curatorum ordinem sunt , Ecclesiastico sunt tamen ministerio addicti , Presbyteros primum alloquimur , eos , qui in sua ad Presbyteratum Ordinatione audiere sibi dictum ab Episcopo , *consecratos* se esse *in adjutorium Episcopi* ; sibi munus esse commissum , ut *offerant* , *benedicant* , *præsint* , *prædicent* , *&* *baptizent* ; oportere , ut *eorum doctrina sit spiritualis medicina populo Dei* , *&* *odor vitæ sit delectamentum Ecclesiæ Christi* , *ut prædicatione atque exemplo per ipsos ædificetur familia Dei* (2) .

Hæc vero tam eximia , quæ sua in Ordinatione denuntiantur Presbytero ; ut præsit , prædicet , baptizet ; cetera , si restricte accipiantur , non aliud referunt , quam Parochum . Sed est in memoriam revocandum , ea quæ in *Pontificali* & aliis Ecclesiasticis ac Sacris Libris exstant , ab antiquissimis ducta esse temporibus ; uti e *Sacramentorum Libris* , seu *Sacramentariis* est perspicuum . In vetusta autem illa ætate si *Presbyter* diceretur , intelligendus erat Parochus , vel omnino cuipiam Ecclesiæ cum potestate , vel ad ministerium præfectus (3) .

In Ecclesiasticis Fastis quinti seculi celebris est Canon sextus Concilii Chalcedonensis , quo vetitum , ordinari quempiam , *nisi specialiter in Ecclesia Civitatis* , *vel pagi* , *vel martyrio* (~~æde sacra , Deo vel Martyrum~~ invocatione dicata) , *vel Monasterio* , *is qui ordinatur* , *designetur* . Iste , qui sic ordinatus esset , *titulatus ad Ecclesiam* , postea dictus est ; quam Ecclesiam prohibebatur deserere , adhuc seculo decimo , quo Ratherius noster floruit . Nam hic Veronensis Episcopus nominatissimus , in Epistola Synodica ad Presbyteros ita edixit : *Nullus Ecclesiam* , *ad quam* titulatus est , *relinquat* , *&* *ad aliam quæstus causa migret* (4) .

Ut



(1) S. Greg. M. Reg. Past. Part. 2. c. 8.
(2) Pontif. Rom. De Ordinat. Presbyt.
(3) *Nemo tunc inter Clericos erat* , *qui non vel Episcopo* , *vel Ecclesiæ alicui* , *vel certo ministerio affigeretur* : Thomassin. Discipl. P. 2. L. 1. c. 4. n. 3.
(4) Rather. Op. ed. Ballerinior. col. 416. n. 9.

Ut autem antiquos mores, quantum per tempora licuit, revocaret Concilium Tridentinum, edidit hoc Decretum: *Sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus* (1).

Ex istis hoc colligite, Presbyteri filii carissimi, universos Presbyteros oportere servire *necessitati, aut utilitati Ecclesiarum*; nam istarum intuitu ordinati sunt. Si *in adjutorium Episcopi* sunt ordinati & *in ædificationem familiæ Dei;* colligite, eos *ad spiritualis, & ecclesiasticæ militiæ labores vocatos esse*, uti Sanctus Carolus, ille admirabilis Mediolanensium Archiepiscopus, declarat in Concilio IV. Provinciali (2). Quid autem eos oporteat agere seu quibus in rebus operari, admonebit tempus, admonebit locus & ipsa uniuscujusque habilitas seu facultas virium & ingenii.

Hos vero *spiritualis & ecclesiasticæ militiæ labores* qui pertulerint, hi Episcopum quasi cogunt, ut, quando vacuus relictus fuerit locus, jam non eos esse velit Parochi cooperatores, sed Parochos; cum, uti S. Thomas docet, *ex ipsa devotione obsequii reddantur digni Ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera* (3). Præsertim cum id soleat contingere, ut qui volentes ac spontanei, solo studio salutis animarum, in vinea Domini laborant tum diligenter, tum assidue, ii fulgeant iis requisitis, quæ in Presbytero ad Parochiale munus evehendo requirimus. Quæ requisita, hæc sunt: pietas & morum gravitas, Sacrarum Literarum scientia, auctoritas, & prudentia. Prudentia, quæ agenda & eligenda suggerat: auctoritas, quæ est potentia quædam, seu gratia apud populum, ex opinione virtutis confirmata. Cetera non necesse est ut explicemus.

Nam ad Vos dilectos Filios Clericos qui in minoribus ministra-

b 2

(1) Concil. Trid. sess. 23. cap. 16. de Reform.
(2) S. Carol. Conc. Prov. IV. Par. 3. de vit. & hon. Cler.
(3) S. Thom. 2. 2, q. 100. a. 5. ad 1.

nistratis, noster nunc amor Nos vocat. Sanctitati morum adquirendæ cum Dei adjutorio, toto animo incumbite; ea quæ legitis, vel auditis ab adolescentiæ vestræ moderatoribus, ad pietatem spectantia, recondite in pectore, eadem in memoriam sæpius revocaturi, cum ætas processerit, eadem in moribus vestris expressuri tanquam lætos fructus e cultura jam olim suscepta. Si literarum ac scientiarum studiis vacatis, ne putate, abunde vobis olim futurum dedisse operam literis in ipso ætatis flore; cæterum eadem posse in reliquo vitæ cursu tuto dimitti: imo hoc existimate, vos nunc incipere; hæc esse studiorum primordia; nunc viam tantum vobis commonstrari ad scientiarum labores, in quibus vobis ætatem agendam, quantum per alia munera vestra licebit, in posterum sciatis; dum velitis, ut omnino velle debetis, honorem tueri Ordinis Clericalis, servire utilitati ac necessitati Ecclesiæ, morum gravitate ac honestate apud Fidelem populum splendescere.

Ista ut intelligere melius valeatis; quæso, Filii carissimi, Deum rogate, ut spiritu ecclesiastico imbuamini ex alto. Sed mente nunc intenta, obsecro, expendite quod vobis, uti parens amantissimus & de vobis sollicitus, hic explico de hoc spiritu ecclesiastico; cujus, dum vixeritis, recordari debetis, non ad vani nominis scientiam, sed ad usus vitæ quotidianos. Spiritus itaque ecclesiasticus in eo est positus, ut Clericus sit a placitis seculi, & mundi voluptatibus alienus; sit ad officia & munia ecclesiastica propensus; sit in omni exteriore cultu compositus & modestus; sit solitudinis amans & orationis & studiorum sacrorum; vitam ducat seriam, occupatam, & in bono stabilem; sit mansuetus, placidus, affabilis; amicus patriæ, civium amans, omnibus hominibus caritate conjunctus; sit contra cupiditates vigilans, & fortis; & de gloria Dei, & proximorum salute vehementer sollicitus.

Hujus spiritus ecclesiastici signa si in Clerico perspexerimus; ei, ubi utilitas, vel necessitas Ecclesiarum postulare visa fuerit, manus imponemus in Domino & ad montem Sanctum evehemus. Sin aliter; obtineri a nobis, Deo dante, nihil

po-

poterit per commendationes, vel officia, aut patrocinia. Atque eadem consideratione utemur, quando res erit de Parochiis conferendis. Cum ipsa splendescat per se virtus; ipsa se probitas commendet; non eget sane officiis, vel patrociniis.

Sed Vos, Clerici mihi in Domino carissimi, in mentem mihi revocatis Seminarium, nempe illud tanquam promptuarium literarum, pietatis, religionis, & omnis ecclesiasticæ disciplinæ, ex decretis Sacrosancti Concilii Tridentini institutum. Erit hic locus nostrarum curarum pars præcipua; sed in primis de disciplina ac moribus, & de religione ac pietate erimus solliciti, cum timor Domini sit *sapientiæ initium*; quo sane fundamento posito, de ipsa scientia bene sperandum est; quoniam, *qui diligit disciplinam, diligit & scientiam* (1). At erit Nobis jucundum, dilecti Filii, de vestro in literis progressu experimentum sumere, & de eo ipso a vestris Magistris doceri. Quos quidem ex animo cupimus coram videre, alloqui, & de tota docendi ratione interrogare. Cum fructus boni scientiarum nitescant in Clero Veronensi; nihil esse potest jucundius, quam intelligere, qua via, vel quibus doctrinarum rudimentis institui adolescentes soleant & ad limen scientiarum deduci; ut proprio deinde labore privatisque curis ipsi, suis se sustentati viribus, penetrent in ipsa adyta scientiarum.

Jam cum tam multa adjumenta a Vobis, Regulares Presbyteri, acceperint olim semper, & modo accipiant Episcopi in vinea Domini colenda; ingrati forte videremur, nisi ad Vos quoque verba faceremus. Olim monachi literas & doctrinarum fontes, sine quibus Religio consistere pro humana conditione non potest, conservarunt, & ad seros posteros transmisere; ne alia nunc commemorem ab iis bona profecta, utilia tum Reipublicæ, tum Ecclesiæ. Qui vero postea antiquis additi sunt Regulares; Ecclesiæ simul & Reipublicæ labores ac operam dedicarunt, in mediis bellorum fluctibus,

b 3 con-



(1) Proverb. 12. 1.

concionibus habendis, erroribus confutandis, pacibus conciliandis, legationibus obeundis, fundationibus piis ad usum reipublicæ ac populi promovendis; ne cetera nunc dicam, quæ sunt pervagata & cunctis nota. Illud vero perspectum est, hoc quoque tempore piis Regularium exercitationibus & laboribus religionem populi Fidelis foveri ac sustentari; ut non immerito eos Episcopus magnæ tum sanctitatis tum doctrinæ (1) appellare potuerit *villicationis Episcopalis socios*.

Sed dum multa de vobis, Regulares viri, bona cogito; illud præcipue se mihi offert considerandum, Vos esse, qui *Consilia evangelica* ex vestræ professionis instituto in usum deducitis; illa nempe *Consilia*, quæ Dominus noster Jesus Christus proponenda statuit, per quæ via pateret unice in cælum illis, quos idem ipse vocasset, præbendo auxilia ad illa *Consilia* complenda.

Dignitatem ergo vestræ professionis considerate, viri Religiosi; illius, inquam, professionis, quæ a Divina Sapientia electa est ad salutem multorum æternam. Extra quam professionem si essent, intelligebat Gregorius Magnus istos sic vocatos, de salute periclitaturos, scribens Mauritio Augusto de quadam Lege, per quam huic professioni vincula quædam essent injecta: *Quam Constitutionem, ego fateor, inquiebat ille, vehementer expavi: quia per eam cælorum via multis clauditur* (2). Quod ergo Vos Deus elegerit, quos ad hanc professionem vocaret; agite ipsi Deo gratias; agite, inquam, illi gratias, qui per hanc viam salutis planam, & a magnis periculis tutam Vos ducendos elegerit.

Nos vero, quoniam, Sacrosancto Concilio Tridentino Judice, *ex Monasteriis pie institutis multum in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oritur* (3); Vos ea semper caritate complectemur, quæ decet communem parentem, de communi utilitate sollicitum.

No-



(1) Sanctes Veronensius in prima ad Patavinos Epist. Pastor. dat. an. 1758.
(2) Gregor. M. lib. 3. epist. 65.
(3) Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de Regular.

Nostra vero nunc oratio ad eas se convertit, quas merito appelles gloriam Ecclesiæ Catholicæ, Religionis Catholicæ gloriam, gratiæ Dei triumphum, miraculum constantis animi ac intrepidi. Quæ se volentes dant in liberalem custodiam, ibi in futurum tempus perpetuo mansuræ, psalmodiæ diurnæ ac nocturnæ addictæ, operibus manuum occupatæ, ab hominum consortio semotæ, a seculi oblectamentis segregatæ, Angelorum vitam, non hominum, victuræ. Vos scilicet, Virgines ac Sponsæ Agni cælestis, Vos alloquor. Uti viros Regulares, ita Vos quoque elegit Deus, quas ad cælestis vitæ gloriam deduceret per *Evangelicorum Consiliorum* usum & observationem; hac via, non alia, voluit vos in possessionem mittere Regni cælestis. Cum straverit ceteris alia via iter ad æternam salutem, per hanc viam Vos vocavit; in hac tantum parata vobis auxilia esse voluit, per quæ, hoste devicto, palmam reportaretis in cælis. Felices animæ, quæ contagia seculi, & pericula quæ mundana consortia undique circumstant, vincenda esse statuistis, fugiendo potius, quam pugnando! Hoc Vos non docuit humana sapientia; sed Divina intus in vobis operans Sapientia docuit; ut videretis quod faciendum, & cognitum Sancto amore faceretis.

Sed videte ne hujus Divini amoris locum iterum occupet amor mundi; hujus cavete vel prima ipsa incendia: si semel loco potitus fuerit, ne [illegible] ut [illegible], donec totum ædificium conflagraverit. Humanas cupiditates facilius est compressas in totum tenere, quam, semel laxatis frænis, vetare, ne fœda contagione totum inficiant hominem. Ista vero cavere licebit, si, nostris viribus non fidentes, adeundum nobis statuerimus cum fiducia ad thronum gratiæ Dei; qui dabit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

Agite igitur, Sacræ Virgines, & tales Vos exhibete, ut decet eas, quas Patres appellarunt *illustriorem portionem gregis Christi*, *florem Ecclesiastici germinis*, *decus atque ornamentum gratiæ spiritualis*. Eximiis his laudum præconiis Virgines ornavit non recens quispiam Episcopus, sed magnus ille Carthagi-

thagi-

chaginiensium Episcopus & Martyr Cyprianus (1). Si laudes vero, si gloriam vestram a primis usque ducitis Ecclesiæ temporibus; quid jam opus est ut appellem vel Hieronymum, vel Ambrosium, vel alios Ecclesiæ Patres, antiquissimos illos sane, sed Cypriano posteriores? Hæc ad vos commemoro, ut vestræ dignitatem professionis agnoscatis; & ut, propositum vestrum tenentes, fortiter consummetis opus vestrum, cui, dicente Cypriano, *magnum præmium destinatum est* in Cælis.

Ab iis, qui Ecclesiasticis vinculis sunt illigati, gradum facimus ad dilectos Filios Nostros, qui in seculo vivunt, & præ Ecclesiasticis sunt multo maximo numero. Sed cum talium sint multi ordines; patresfamilias, filii; mariti, uxores; domesticis officiis servientes; præceptores, discipuli; professionibus fere innumeris ac discrepantibus addicti; non nunc admonebimus singulos de officio.

Universos velim id sæpe animo recolere, quod tunc promiserunt, quando de potestate tenebrarum ad divinum lumen per Baptismi gratiam vocati sunt, ac in novam creaturam per Divinam regenerationem transiere. Nam interroganti Sacerdoti, an *abrenuntiarent Satanæ & omnibus operibus ejus*, *& omnibus pompis ejus*, responsum fuit, id utique facere se, & istis se omnibus *abrenuntiare*. Meminisse igitur debent, hac solemni sponsione se illa omnia repudiasse, quæ ex sua natura excitant vel alunt inordinatos quoscumque appetitus, seu amoris proprii stimulos. Hi sunt appetitus, qui rerum ordinem natura constitutum invertunt aut perturbant: quod ne fiat, magnopere cavendum est. Nam Naturalem ordinem servandum esse, Regula est generalis, vi sua ceteras morum regulas continens.

Explicabit autem nobis ista Sanctus Augustinus; & quæso Vos, dilecti Filii, ne magnum Doctorem audire pigeat: *Ille*, inquit, *juste & sancte vivit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat*

quod



(1) S. Cyprian. De habitu Virgin.

quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut aeque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod aeque diligendum est (1). Hæc Augustini verba non sonant aliud, nisi ad eam regulam omnia hominis officia revocari, ut naturalem in rebus ordinem servet.

Ea, quæ naturalem rerum ordinem invertunt & animos hominum, ordinatam dilectionem tollendo, transversos agunt; paucis verbis sic complexus est Joannes Apostolus: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est* (2).

Ista quæ ita docentur, cum multi hominum negligant; ex eo manant ac serpunt in populo multi mali exempli actus; qui etiam *consuetudinis* ac moris nomen induunt. Sed absit, ut judicium de moribus tulerimus ex hujusmodi consuetudine, non ex Lege Dei. Contra Dei Legem nulla est præscriptio; nulla usitati moris vetustas prævalet. Pravis animi affectionibus seu cupiditati resistendum ab omnibus, non a viris Religiosis tantum. Abnegatio sui, quantum ad ista pertinet, tam præcipitur viro Laico, quam Religioso. Decertandum a cunctis contra ea, quæ cum recta Ratione & Lege Dei atque Christianis institutis non bene conveniunt: & de apperitu malo revocandus est animus ad ea quæ sunt vera, quæ pudica, quæ justa, quæ sancta, quæ amabilia (3). Hæc Rationis & Religionis præscripta si serventur, non solum ad cælestis Regni possessionem adipiscendam pertinent, sed Societati etiam Civili suapte natura prosunt ad felicitatem & ad perpetuitatem.

Sunt hæc utrique sexui communia. Sed hortatur nos caritas, ut de fœmineo aliquid amplius addamus. Ecclesia fœminas vocat *devotas*; quando orat *pro devoto fæmineo sexu*; atque



(1) August. lib. 1. De Doctrin. Christian. cap. 27.
(2) Jo. epist. 1. c. 2. v. 16.
(3) Philipp. 4. 8.

atque hæ quidem, si eas familiæ possident, inter electa Dona Dei sunt habendæ; illæ scilicet, quæ, uti mulier illa fortis a Salomone descripta, cum pietate actionem & opus conjungunt. Sed si aliæ contrarii sint moris, si vanæ, si leves, si oblitæ eorum quæ in Baptismo promisere; adversus eas, Spiritu Sancto plenus Isaias clamat: *Exaltatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt alto collo & nutu oculorum & incessu pedum trahentes tunicas, & pedibus simul ludentes*. Quid vero? En audite Dei minas adversus tales fœminas: *Humiliabit Deus principales filias Sion, & auferet Dominus gloriam vestis illarum, & ornamenta earum, & crines, & cincinnos, & lunulas, & discriminalia, & armillas, & dextralia, & annulos, & inaures. Et erit pro odore suavitatis pulvis; & pro cingulo reste cingeris, & pro ornamento capitis aureo calvitium habebis* (1).

Hæc autem sic in uno posita, sunt exempli loco, indicantque calamitates & adversa non unius generis aut modi a Deo infligenda. Quibus quidem plectentur non ipsæ modo fœminæ, sed totæ familiæ. Ex quo intelligimus, quantopere intersit mulierum licentiam vel per ipsos patresfamilias coerceri & in ordinem redigi; si sint aliquæ tales, quales Isaias describebat. Sed proderit etiam, eos adhibuisse cohortationes & placida verba piarum Matronarum; e quarum quidem dexteritate & caritate multa bona manare in Civitatem ad disciplinam & subsidium debilioris sexus, notum est.

Quid vero tandem, dilecti Filii? Honestatem morum ac disciplinam populi Fidelis Veronensis commendatam tenemus, eo amplius æstimandam quod cum alacri ac vivido ingenio conjuncta sit. Sed quid restat? Nimirum, ut *veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus* (2).

Nunc cum Diœcesim præclare constitutam accepturi simus a strenuo & vigilantissimo Vicario Generali Capitulari; Venerabiles Fratres, dilecti Filii, quotquot estis, deprecamini

mise-

(1) Isaiæ 3. 16. secundum lectionem Cypriani De hab. Virgin.
(2) Ephes. 4. 15.